

In quinto casu, etiam graviter peccat, si condonatio sincera non sit; de quo dubitare licet, quando ACHARIS, etsi morti proxima, novercam veniam rogantem recusat admittere vel etiam conspicere. Si tamen sincera sit condonatio, in ACHARI odium erit non quidem inimicitiae, sed abominationis, quod veniale per se non excedit, ut ait, cum aliis, *Kenrick, de Virtut. theol., disp. 29, n. 60.*

218. — *R. ad 2^m Quæst.* Si constet sinceram non esse condonationem ACHARIS absolvi nequit, etiam in mortis articulo, nec salutem æternam consequi potest, cum scriptum sit: *Dimitte, et dimittetur vobis.* Hæc est absoluta et rigorosa conditio ad veniam peccatorum obtinendam. Attamen, si videretur putare se satisfacere et odium abjicere, conditionate saltem absolvi posset.

CASUS XV.

DE ELEEMOSYNA.

CLEONICUS, vir dives et immitis, pauperibus nullas eleemosynas largitur. Nec putat se graviter delinquere, quia novit Theologos non tantum circa præcepti gravitatem, sed etiam circa ejusdem materiam, seu eleemosynæ faciendæ quantitatem, minime concordare. Uxor vero ejusdem, pia mulier, de viri avaritia valde dolens, illo inscio, sat largas eleemosynas in pauperes, vel causas pias effundit.

HINC :

QUÆR. 1^o *An, vel quomodo præceptum eleemosynæ urgeat sub gravi?*
2^o *Quid de agendi ratione CLEONICI et ejus uxoris?*

SOLUTIO :

219. — *R. ad 1^m Quæst.* Præceptum eleemosynæ grave est ex genere suo, uti ex Scripturis colligitur. Quanquam vero gravis obligatio præsertim urgeat etiam de vitæ superfluis in extrema proximi necessitate, atque de statui superfluis in necessitate alterius gravi; attamen ne ille quidem culpa *per se* lethali *probabilius* caret, qui in communi pauperum necessitate nullas unquam de bonis statui superfluis eleemosynas erogaret. *Ita communis sententia Theologorum.*

220. — *R. ad 2^m Quæst.* 1^o Peccat sine dubio CLEONICUS, ut patet ex dictis. Nec excusari potest ex hoc quod non convenient Theologi in determinanda obligatione et quantitate eleemosynæ ad communem pauperum necessitatem sublevandam faciendæ. Quippe omnes obligationem aliquam profitentur; et qui mitiores habentur, ubi adsint vitæ et statui superflua, quæ tamen ingentia non sint, quinquagesimam reddituum partem, ut præcepto satisfiat, in pauperes erogandam putant.

2^o Non videtur culpanda CLEONICI UXOR, ex eo quod, inscio marito, eleemosynas fecere: potest enim ejus obligationi supplere; ordinarias autem et moderatas eleemosynas facere, pro conditionis ratione, uxoribus permittitur; a fortiori id et amplius facere potest uxor, si vir sit valde

dives, et erga pauperes durissimus. Sit tamen prudens Confessarius in dandis hac de re consiliis, caveatque ne uxor in pari casu limites debitos prætergrediatur.

CASUS XVI.

ELEEMOSYNA MALE ACQUISITA.

LUCRETIA, astuta femina, licet egestate non laboret et bene valeat, se pauperrimam et infirmitatibus obrutam fingit. Huc et illuc vagatur, eleemosynas requirens, præsertim ab iis quibus omnino incognita est. Ut divites magis ad misericordiam inflectat, dictitare solet falso, se numerosa prole onerari, et hoc probat ostendendo puerulos non paucos, vestibus laceratis indutos, sed reapse alienos. Hac industria, notabilem pecuniæ summam a quodam divite obtinuit.

HINC :

QUÆR. 1^o *An LUCRETIA graviter peccaverit, et ad restitutionem teneatur?*

2^o *Si restitutio facienda sit, an domino vel pauperibus?*

SOLUTIO :

221. — *R. ad 1^m Quæst.* Certo graviter peccavit LUCRETIA, atque ad restitutionem tenetur; quia, per fraudem, copiosas eleemosynas obtinuit, et proinde injuste acquisivit. Erogantes enim eleemosynas, eas tantum conditionate concedunt, scilicet, supposita vera necessitate. Ergo, non verificata causa movente, donatio seu eleemosynæ elargitio est invalida. Ergo ficti pauperes peccant, et tenentur ad restitutionem. Ergo LUCRETIA restitutionis onus subire debet.

222. — *R. ad Quæst. Controvertitur.* Duplex est sententia probabilis. *Per se* restitutio videretur facienda domino, qui non intendit abjicere dominium rei suæ, nisi petens eleemosynam esset vere pauper. Attamen præsumi potest intentionem ejus esse in eo casu, ut alii pauperes proprie dicti sublevantur. Inducenda est LUCRETIA ad restituendum occulte ipsi domino summam notabilem quam ab eo accepit, licet non videatur ad id absolute obliganda, modo eam sibi non retineat. Modicas autem eleemosynas veris pauperibus elargiatur, cum in praxi propriis dominis restitui nequeant. Imo dicunt plures eleemosynas omnino exiguas seu minimi momenti non esse necessario aliis erogandas, quia domini sunt minus inviti, præsertim si fictus pauper minime ex iis ditior evaserit. *S. Lig. de Justitia, n. 622. — V. Comp. de Just., n. 649.*

CASUS XVII.

CORRECTIO FRATERNA 1^o.

GERINUS, vir timoratæ conscientiae, jugi laborat anxietate circa obligationem correctionis fraternæ. Zelo accensus *opportune et importune arguit, obsecrat et increpat* peccantes contra leges Dei vel Ecclesiae, v. g.

blasphematores, laborantes die Dominica, turpia loquentes, et alios similis furfuris nebulones; sed infelici successu deterritus, a qualibet postea admonitione abstinere. Verum, mox scrupulis exagitatus, se peccati mortalis reum, et idcirco æterno barathro condemnatum existimat. Hinc de obligatione proximum corrigendi, frequenter interrogat, et semper anxius est.

HINC :

QUÆR. 1° *Quænam sit obligatio correctionis fraternæ?*
2° *Quid de GERINO statuendum?*

SOLUTIO :

223. — *R. ad 1^m Quæ.* Obligatio correctionis fraternæ urget sub gravi, *per se*, ex lege naturali caritatis, qua ad mala proximi sublevanda tenemur. Constat etiam ex variis locis Scripturæ sacræ, præsertim ex *Matth.* 18. 15 : *Si peccaverit... frater tuus... corripe eum...* Privati tamen inter se raro, sub gravi, ad proximi correctionem tenentur, et rarius erga superiores, quia plerumque fructus non speratur, vel non sunt idonei ad corripiendum, etc.... Imo, non raro omnino ab illa obligatione excusantur, præsertim si sint pusillanimes, aut conscientia nimis timorata.

224. — *R. ad 2^m Quæ.* GERINUS omnino male intellexit præceptum correctionis fraternæ. Indebite eam adhibuit, et ab ea facienda in posterum est eximendus, quia prorsus inhabilis videtur, ut agendi ratione adeo imprudenti probavit. Quorsum enim reprehendit promiscue incognitos quoscumque sibi obvios? numquid spe fundata emendationem obtinendi impellitur? Minime gentium; sed *importune arguit et obsecrat*. Abjiciat igitur GERINUS inanes curas, abjiciat anxietatem qua cruciatur; nequaquam ex hoc, æterno barathro damnandus erit.

CASUS XVIII.

CORRECTIO FRATERNA 2°.

OLYMPIA, famula, advertit BERTINAM filiam familias de nocte quemdam juvenem in proprium cubiculum admittere. Sedulo januam domus in posterum claudit ancilla. BERTINA vero, hoc resciscens, mirum in modum irata, OLYMPIAM increpat, asserens se eam durissime tractaturam esse, si iterum januam obseret, vel si consortium nocturnum cuiquam mortalium manifestet. Hinc famula, timore correpta, silet et quiescit, maxime reformidans BERTINAM, quæ, dominæ instar, domum gubernare videtur.

HINC :

QUÆR. *An OLYMPIA, tuta conscientia, silere potuerit?*

SOLUTIO :

225. — *R. Affirmative.* Tacere enim potest et se habere mere negative, si revera gravissimum incommodum subire debeat, quia caritas neminem obligat ad peccata alterius impedienda, nisi id facere possit sine gravi suo detrimento, et insuper, in his circumstantiis, admonitio non prævidetur

profutura. Nullatenus tamen potest modo positivo ad illa conventicula concurrere, v. g. aperiendo januam, etc.

Dixi : *si revera gravissimum incommodum subire debeat*; quia tenetur OLYMPIA malum illud impedire, si aliquo modo id possit, per alios, præsertim per parentes, quin complicitibus innotescat se a famula proditos fuisse. *V. Comp. n. 230 et seq. — Elbel, n. 306.*

CASUS XIX.

DE SCANDALO 1°.

BALBINA novit se a GRIFINIO turpiter amari, et sui conspectum ab eo requiri. Nihilominus pergat ad Ecclesiam diebus festis, ad missam audiendam et Officia vespertina frequentanda, ad quæ ille impudicus juvenis est interventurus, nec abstinere a consueta deambulatione, recreationis causa, licet prævideat se ab eodem insequendam esse. Si ab illo transeunte verba minus casta audiat, subridet ne inurbana videatur, sed in his sibi non complacet, nec ullum verbum profert.

HINC :

QUÆR. 1° *An mulier, ad vitandum viri scandalum, præcepta omittere debeat?*

2° *An, vel quomodo peccaverit BALBINA in subjectis casibus?*

SOLUTIO :

226. — *R. ad 1^m Quæ.* *Controvertitur*, an teneatur mulier omittere præcepta positiva, ad occasionem scandali vitandam. *Communius affirmant*, secluso gravi incommodo, quia, inquiunt, præceptum juris naturalis vitandi scandalum præcepto positivo præferri debet. Opposita tamen sententia sua probabilitate non caret, teste *S. Lig. n. 51*. Patroni primæ sententiæ obligationem ita limitant ut mulier ad id teneatur semel tantum aut iterum, si spes adsit ut scandalum deinde cesset; non vero multoties ob grave incommodum quod inde consequeretur.

227. — *R. ad 2^m Quæ.* 1° Absolute loquendo, BALBINA non tenetur Sacrum omittere die festo, quia probabile est, ex dictis, eam eximi a tali obligatione. Si tamen occasio scandali semel tantum aut iterum contingat, suaderi ei poterit ut a Missa absteineat. 2° Quoad Officia vespertina eaque omnia quæ absolute sub præcepto non præscribuntur, tenetur, juxta quosdam, BALBINA etiam sub gravi illa omittere, si facile possit; alii tamen probabilius hanc gravem obligationem negant; et certe perpetuo aut diu, vel sæpe ea omittere obliganda non est. 3° Quoad deambulationem, idem teneto, ac de Officiis non præceptis. 4° Peccat autem graviter BALBINA subridendo dum verba impudica a GRIFINIO prolata audit, si hæc turpiloquia sint notabiliter obscena vel periculosa. licet in istis nullam capiat complacentiam, ratione scandali et cooperationis. Nec admittenda est excusatio BALBINÆ, ex eo quod timeat ne velut inurbana videatur. Numquid quæstio urbanitatis movenda

est, cum agitur de gravi scandalo vitando, et de peccato mortali effugiendo? Utinam a BALBINA huic nebuloni semper inurbana visa esset! Hic non eam toties fuisset insecutus. *V. Comp. n. 236.*

CASUS XX.

DE SCANDALO 2°.

DAMIANUS domum suam locaverat CATHARINÆ viduæ, quam credebatur esse honestam feminam, sed inaudit eam a viris suspectis frequentari. Hac de re ut certior fieret, in angulo domus tempore nocturno se abdidit, et revera deprehendit sparsum rumorem fundamento non carere. Ast, ut magis veritatem assequeretur, ipse simulavit CATHARINAM inducere in peccatum, ad quod eam promptam ac paratam reperit. Tunc indignabundus illam severissime objurgavit.

HINC :

QUÆR. 1° *An DAMIANUS potuerit CATHARINAM in domo sua tolerare absque scandali reatu?*

2° *An peccaverit graviter, eam ad peccandum, probationis causa, sollicitando, licet nullum animum peccandi habuerit?*

SOLUTIO :

228. — *R. ad 1^m Quæs.* 1° DAMIANUS potuit CATHARINAM in domo sua tolerare usque ad locationis terminum, quia bona fide domum suam locavit, neque locatariam absque gravi incommodo ejicere potest, cum illa jus habitandi ex contractu obtinuerit. 2° Elapso autem locationis termino, si constet CATHARINAM esse meretricem, et homines impudicos ad eam confluere, eam domo amovere tenetur, quando graviter vicinis honestis noceat, aut locus ad procos alliciendos commodior sit. Si vero specialia hæc incommoda abessent, et DAMIANUS domum suam aliis locare non posset; insuper vero nec scandalum, ejecta CATHARINA, cessaret, quia aliam domum facile hæc reperiret, ad eam ejiciendam non teneretur. *Elbel, n. 375.*

229. — *R. ad 2^m Quæs.* Graviter peccavit DAMIANUS, saltem, seclusa bona fide, CATHARINAM ad peccatum fecte sollicitando. Ratio est, quia sollicitatio ad actum intrinsece malum, ex natura sua mala est. Nec excusandus est DAMIANUS ex eo quod animo peccandi caruerit: nam, exterius saltem, hanc intentionem ostendit, et mulierem, habitualiter male dispositam, ad actualem consensum in peccatum mortale incitavit; hoc autem culpa gravi vacare non potest. *Elbel, n. 377.*

CASUS XXI.

DE SCANDALO 3°.

PHILOGINUS, famulum MARCUM de variis furtis suspectum habens, frustra ad rei veritatem assequendam, cæteros famulos interrogat. Licet isti furan-

tem viderint, ut postea notum est, altum tamen silentium hac de re servarunt. Quid igitur PHILOGINUS? Statuit nihil intentatum relinquere, ut MARCUM in delicto deprehenderet. Hinc cœpit nullam famulo furandi occasionem præcludere. Subinde etiam, data opera, clavim in arca pecuniaria reliquit. Hisce artibus citissime famulum iniquum deprehendit, atque, nulla interposita mora, eum a propria domo expulit.

HINC :

QUÆR. 1° *An PHILOGINUS famulo occasionem furandi permittere potuerit?*

2° *An etiam ei occasionem præbere?*

3° *An ceteri famuli graviter peccaverint, furta MARCI non impediendo, aut non revelando?*

SOLUTIO :

230. — *R. ad 1^m Quæs. Affirmative.* Ratio est, quia permittere non est inducere; porro bonum quod PHILOGINUS inde percipere debet, causa sufficiens est peccatum famuli permittendi. Etenim, juxta *S. Thomam*, quamvis hominem inducere ad peccatum nefas sit, uti tamen peccato alterius ad bonum, licitum est.

231. — *R. ad 2^m Quæs. Controvertitur.* Duplex sententia probabilis datur. *Alii negant*, quia ponere occasionem peccati idem est ac ad peccatum ipsum concurrere, seu positive ad illud concurrere. *Alii vero affirmant*, quia peccans non inducitur ad peccandum, sicut non inducitur usurarius, a quo, justa de causa, mutuum petitur: actus enim domini est indifferens et cum ratione sufficienti ponitur; famulus autem potest peccare, vel non peccare. Et licet prævideatur peccaturus, hoc hero imputari nequit, cum ex ratione gravi causam indifferentem ponat. *S. Lig. n. 58.*

232. — *R. ad 3^m Quæs. Negative probabilius*, nisi res ipsis specialiter commissa fuerit, quia famuli non videntur conducti nisi ad laborem, et ad res domesticas contra extraneos custodiendas. Attamen a peccato contra caritatem non sunt excusandi, si damna a MARCO illata facile impedire potuerint. *S. Lig. n. 344. — V. Comp. n. 691.*

CASUS XXII.

DE CHOREIS 1°.

JUVENALI, Confessario, tempore Paschali, confessiones multorum excipienti, occurrunt inter alios hæc pœnitentes:

1° SYLVIA, materfamilias, quæ sinit, imo jubet filias in arte saltandi a magistro doceri, etiam cum diversi sexus juvenibus vicinis vel amicis.

2° FULVIA, puella, quæ pluries in anno, præsertim tempore bacchanalium, et die festivitatis patronalis, interfuit choreis, plerumque natura sua periculosis, ut sunt choreæ quæ dicuntur *valse, galop, polka*; imo a decem annis, non obstante repetita emendationis promissione, taliter egit.

3° LÆLIA, quæ frequenter saltat modo ordinario, nec promittit emen-

dationem, dicens : *Nil mali in hoc capio ; si capiant alii mea occasione, ipsi viderint.*

Omnibus autem præfatis pœnitentibus absolutionem denegat JUVENALIS noster.

HINC :

QUÆR. 1° *An choreæ omnes per se sint prohibitæ, vel quales prohibendæ?*

2° *An recte egerit Confessarius, vel quid fuisset agendum in singulis casibus?*

SOLUTIO :

233. — *R. ad 1^m Quærs.* 1° Choreæ per se illicitæ non sunt, etiam inter personas diversi sexus, si modo honesto fiant, id est, secluso omni tactu ac gestu impudico; quia ratione rei sunt quid omnino indifferens, nec ulla lege probibentur. *S. Lig. n. 429. — V. Comp. n. 242.*

2° Quænam autem choreæ, ut illicitæ et periculosæ, ratione modi, prohibendæ sint, non facile in theoria statui potest. Quæstio enim intricatissima est, et plerumque a variis circumstantiis pendet. Sane omnino prohibendæ sunt eæ choreæ quæ, ratione nuditatum, vel modi libidinosi saltandi, valde periculosæ sunt. Quænam autem sunt istæ, ratione modi, prorsus prohibendæ? vix aut ne vix quidem definiri potest a viro theologo, qui res istiusmodi non nisi ex aliorum relatione novit. Etenim, ut experientia constat, referentes, diversimode periculo affecti, de illis diversimode judicant. Quod enim aliis summe periculosum videtur, aliis tolerabile apparet, neque saltationes etiam ejusdem generis sunt ejusdem periculi pro omnibus. Itaque nec ipsi viri qui mundanis recreationibus prius vacarunt, et subinde statum clericalem amplexati sunt, hac de re semper conveniunt. Generatim ut periculosissimæ habentur choreæ quæ *valse* et *polka* dicuntur; sedulo proinde videntur interdiciendæ. Attamen non desunt viri probi, qui has ipsas saltationes dicant modo non adeo indecoro fieri posse, licet communiter valde periculosæ sint. Plerumque igitur ea quæ ad choreas spectant, relativa sunt ad præsentem personarum et modorum circumstantias.

234. — 3° Generatim choreæ quælibet inter personas diversi sexus dissuadendæ sunt, quantum fieri potest, utpote plus minusve periculi habentes; præsertim iis in locis ubi earum consuetudo nondum invaluit. Verum imprimis ad periculum personale in praxi attendendum est. Magis igitur a choreis amovendi erunt, ii qui ad luxuriam magis proclives sunt. Non raro inveniuntur mulieres et puellæ quæ nullum aliud in choreis peccatum, nisi aliquos superbiæ motus, admittunt, vel etiam quæ nullo modo peccant. Satagendum sane maxime est ab animarum Pastoribus et Directoribus, ut quam maxime a choreis omnibus fideles moveant; verum, si omnes de medio tollere vellent, tempus et oleum perderent, nec non multos ab usu Sacramentorum retraherent: caute igitur in praxi procedendum est, et inter duo mala minus eligendum.

4° Confessarius ad hæc duo maxime attendere debet, nempe ad pericu-

lum personale pœnitentis, ut illum cohibeat, atque ad rationes quas habere potest choreis assistendi, ut ipsi indulgeat, vel saltem non adeo rigide agat. Occurrunt enim non raro fideles qui, gravi de causa, vel morali necessitate, ad choreis interveniendum impelluntur.

Insuper, etiamsi nulla gravis ratio pœnitentem tuum premat, cave, o Confessarie, ne severius cum eo agendo, nihil proficias, imo et ipsi noceras. Obsecra igitur semper, non vero semper *increpa opportune et importune*. Quid tibi suadebit bonum spirituale pœnitentis, tu videbis. Non raro autem angustia circumdabunt te undique. *V. Comp. n. 243 et seq.*

235. — *R. ad 2^m Quærs.* In primo casu, cum rigore loquendo, argui nequit SYLVIA de peccato præsertim gravi, si media quæ suggerit prudentia adhibeat, v. g. si *per se*, aut per aliam prudentem personam invigilet. Non potest enim impedi ne permittat, vel etiam jubeat, ut filia modum saltandi addiscant; sed ab instantibus periculis caveat!

In secundo casu. Si FULVIA in his choreis, quæ alioqui sunt valde periculosæ, aut semper aut plurimum graviter peccare soleat, cum hæc sint illi proxima peccandi occasio, absolvenda non est, utut emendationem promittat, nisi insuper ea præstet quæ ad removendam occasionem, aut certe ad tollendum in ipsa occasione periculum necessaria sunt.

In tertio casu. Adhortanda est quidem enixe LÆLIA, ut morem hunc choreis interveniendi abrumpat; sed non est de peccato gravi culpanda, neque absque absolutione dimittenda, cum in istis consortiis non peccet. An vero arguenda sit ratione cooperationis aliorum peccatis, non videtur; quia non actum malum, sed indifferentem ponit, nescitque utrum certo adsint qui sua occasione scandalum patiantur.

CASUS XXIII.

DE CHOREIS 2°.

1° LUCILLA, prævidens se aliquatenus cogendam esse ad saltandum in nuptiis proximis sororis suæ, necnon in choreis privatis familiae et amicorum, imo ducendam esse ad choreas publicas a proprio genitore, pergat ad Confessarium et ab eo quærit, utrum obtemperare possit?

2° EULALIA, viri conspicui uxor, cogi videtur, saltem ex quodam decore, ad saltandum in choreis, a marito in propriis ædibus ex more indictis (*d'après l'étiquette*), sed in quibus non semper regulæ honestatis servantur. Propterea angitur dubia, an, salva conscientia, iis choreis intervenire queat.

HINC :

QUÆR. 1° *Quid LUCILLÆ respondendum?*

2° *Quid de EULALIA statuendum?*

SOLUTIO :

236. — *R. ad 1^m Quærs.* Laudanda LUCILLA, quippe quæ conscientia timorata et prudentia christiana prædita est, cum periculum prævideat et ad *Videntem*, consilii petendi gratia, festinanter recurrat. Bonæ puellæ

suadeo, ut industriam excogitet, cujus ope præfatas choreas effugiat; non tamen obligationem ei impono. Quod si, aliqua necessitate compulsus, iis interesse debeat, illud *S. F. Salesii* enixe ipsi commendo, nempe ut salutando *de morte et judicio divino recogitet*.

237. — *R. ad 2^m Quæst.* Quod ad EULALIAM, res ardua est. Difficile enim videtur ut ab omnibus istis choreis absit, stante morali necessitate, qua urgetur et premitur. Ipsi igitur indulgendum esse videtur, nisi sal tandi modus valde indecorus ei appareat. *V. Comp. n. 243 et seq.*

CASUS XXIV.

DE SPECTACULIS.

In collatione theologica de casibus conscientie inter plures Sacerdotes habita, acriter fuit hinc et inde disputatum de spectaculis, utrum scilicet grave peccatum sit iis assistere. In varias opiniones, ut fieri solet, abierunt varii opinantes. Alii enim in severitatem propendentes contendebant, omnibus fidelibus esse severe prohibenda spectacula, tum ratione periculi, tum ratione scandali. Alii negabant, nisi constaret res in comædia exhibendas bonis moribus adversari; quia spectacula sunt in se quid mere indifferens. Alii opinabantur periculum, si quod sit, esse relativum, et proinde Confessario attendendum esse utrum pœnitenti res periculosa sit, necne. Protracta autem ultra temporis consueti limites fervida disputatione, discesserunt disputantes, et singuli in locum suum abierunt, quin controversiam diremerint.

HINC :

QUÆR. 1^o *An spectacula licita sint, seclusis excludendis?*

2^o *An ratione scandali omnibus prohibenda sint?*

3^o *An comædi seu histriones absolvi possint?*

SOLUTIO :

238. — *R. ad 1^m Quæst.* Spectacula *per se* non sunt mala, nec proinde illicita: etenim nulli legi sive naturali sive positivæ adversantur. Si igitur periculosa sint, illud fit quia res inhonestæ in eis repræsentantur, vel quia adsunt circumstantiæ quæ vitiis fomentum præbent. *Ita communiter S. Lig. de 6^o Præc. n. 427. — S. Thomas, 2. 2. quæst. 168, art. 3. — V. Comp. n. 246 et seq.*

239. — *R. ad 2^m Quæst. Neg. per se*, quia scandalum abesse potest, v. g. si constet quod in tali teatro generatim res indifferentes exhibeantur, ibique decentia vestitus et cantus servetur. Vix potest dari solutio generalis et explorata, si a variis circumstantiis præscindatur. Ratio tamen scandali plerumque valde perpendenda est, præsertim in parvis civitatibus, in quibus omnes a singulis cognoscuntur. Ordinarie facilius tolerari potest assistentia choreis, quam spectaculis; minus enim est scandalum, minusque periculum in prioribus quam in posterioribus, quia in his sensus magis commoventur et phantasia magis excitatur, quam in illis.

240. — *R. ad 3^m Quæst. Affirm. cum S. Th. 2. 2. q. 168, art. 3, ad 3*, si non utantur illicitis verbis aut factis. Secus vero, si parati sint ad res quascumque, etiam turpes, aut alias quavis ratione illicitas repræsentandas.

CASUS XXV.

DE COOPERATIONE.

QUIRINUS, cujusdam divitis ac potentis viri famulus, sæpe dominum ad amasiam, et hanc ad eum, curru adducit; litteras quandoque ex jussu domini ad eandem defert, suspicans eas amatorias esse, et quandoque id pro certo habens. Jussus a Confessario ut a famulatu hujus domini discederet, obtemperare non vult, quia, ait, difficillime alium dominum invenire posset, ideoque ad egestatem facile redigeretur. Interea vero, quadam nocte a domino jubetur ut scalam domui alicujus vicini apponat et ipsum adjuvet, ut per fenestram ascendere possit. Novit QUIRINUS herum suum velle puellam seducere, ideoque obtemperare noluit; ast herum cernens ira incandescentem, et districto gladio, mortem certam minitantem, rem præceptam peragere festinat.

HINC :

QUÆR. 1^o *An, vel quomodo tibi liceat peccato proximi cooperari?*

2^o *Quid de singulis casibus, et quid de sententia Confessarii sentiendum?*

3^o *Quid famulo præscribendum?*

SOLUTIO :

241. — *R. ad 1^m Quæst.* 1^o Nunquam licet peccato alterius *formaliter* cooperari, scilicet aut ad malam voluntatem concurrente, aut ponendo actum intrinsece malum, etiam ob finem bonum, vel malum ipsum quovismodo intendere. Talis enim cooperatio evidenter est participatio ad alterius peccatum, seu vera causa moralis peccati.

2^o Licet vero tibi quandoque *materialiter* cooperari actioni peccaminosæ proximi, dummodo actio tua sit bona vel indifferens, adsitque tibi causa agendi justa et proportionata ad peccati alterius gravitatem, et concursus præstiti proximitatem: tunc enim actionem indifferentem præstas, seclusa omni prava intentione. Nec obstat quod alter tua actione abuti velit, nam eum impedire non teneris, nisi ex caritate: caritas autem cum gravi incommodo non obligat. Quare cooperatio tua est quidem ad actionem materiale proximi, non vero ad peccatum. *V. Comp. n. 248.*

242. — *R. ad 2^m Quæst.* 1^o Non licet QUIRINO, sola ratione famulatus, dominum ad concubinam vehere, neque hanc ad dominum, si certo sciat rem malam ab utroque peragendam esse; sed requireretur insuper causa alia gravis, quæ fere tamen vix deesse potest, cum contumacia famuli adversus dominum difficilis sit et periculosa, nec possit famulus de his rationes cum domino instituere, aut exigere.

2^o Quod ad litteras, si constet famulo eas esse amatorias, non potest eas